VIRI

Magnifici, Summe Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,
DOMINE DECANE SENIOR,

Reliquique Venerandae Facultatis THEOLOGICAE DOCTORES
ac PROFESSORES

PATRES in Christo suavissimi, Dilectissimi

PATRONI Spectatissimi gravissimi.

Dabitis veniam, VENERANDI PATRES, turbanti vestros circulos, et quae publico debentur tempora, Ecclesiae puto et Academiae colendae augendae ornandae, brevibus hisce literis perlegendis ut impendatis, qua fas est submissione et reverentia petenti. Non enim levitate commotus has oculis vestris subjicio; sed necessitate adactus. Sic et visum est Supremo rerum Moderatori, pro inexhausta benevolentiae ubertate, qua me indignum prorsus & nihil tale merentem nunc per LVI, et quod excurrit, annos, amplexus est, et felicis mei tandem habere rationem et eidem occasionem plane inexspectatam commonstrare inserviendi Ecclesiae quae Calbae ad Mildam in Palaeo-Marchia Christo colligitur, ubi Diaconatus non ita pridem vacuefactus est.